



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **NOVOSIBIRSKENSIS LATINORUM** IN
FOEDERATIS CIVITATIBUS SOVIETICIS ADMINISTRATIO

APOSTOLICA NOVOSIBIRSKENSIS LATINORUM CONDITUR Iam pridem Decessor Noster Pius PP. XI, ven. mem., ut apte provideretur curae pastorali fidelium Latini ritus degentium in Mohiloviensi archidioecesi, cuius iurisdictio a Bielorussia usque ad Siberiam extendebatur, Motu Proprio « Plenitudine potestatis » atque Decreto « Quo aptius » diei X Martii MCMXXXVI, nominavit in territorio memoratae Archidioecesis quinque Apostolicos Administratores : Mohiloviae, Leninopoli, Moscuae, Kharkoviae et Kazaniae-Samarae-Sinibirski. Nunc, septuaginta post plus annos libertate religiosa restituta in Foederatis Civitatibus Sovieticis atque hierarchia Latini ritus in Bielorussia nova ratione ordinata, Venerabilis Frater Franciscus Colasuonno, Archiepiscopus titulo Truentinus atque apud easdem Foederatas Civitates Apostolicae Sedis Legatus, ad inchoandam ordinationem canonicam catholicarum communitatum Latini ritus in Siberia, ab hac Apostolica Sede petivit ut in illo territorio conderetur Administratio Apostolica Novosibirskensis, cuius iurisdictio pro nunc proferretur etiam ad territorium Vladivostokensis Dioecesis. Nos vero, faventibus eidem rei Venerabili Fratre Angelo Sodano, Archiepiscopo titulo Novacaesariensi ac Prosecretario Status atque Venerabili Fratre Ioanni Ludovico Tauran, Archiepiscopo titulo Theleptensi et Pontificiae Commissionis pro Russia Praeside, quo melius pastorali curae catholicarum communitatum ritus Latini, quas diximus, prospiciatur, oblatis precibus benigne libenterque annuendum esse putamus. Summa igitur Nostra usi potestate harumque Litterarum virtute quae sequuntur decernimus : Territorium regionis Siberiae, quod olim ad Mohiloviensem Archidioecesim pertinebat, in Administrationem Apostolicam erigimus Novosibirskensem Latinorum appellandam, cuius sedem in urbe « Novosibirsk » ponimus, cuiusque iurisdictio, attamen, iisdem circumscribetur finibus, quibus in praesens eadem Siberia terminatur. Insuper Praelato Ordinario novae erectae Administrationis Apostolicae omnia tribuimus iura, facultates et officia, quae Episcopis residentialibus, congrua congruis referendo, ad normam Iuris Communis, competunt. Haec, quae praescripsimus, perficienda committimus Venerabili Fratri Francisco Colasuonno, quem diximus, tribuentes eidem necessarias opportunasque facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Pontificiam Commissionem pro Russia authenticum exemplar actus effectae executionis remittendi. Has denique Litteras Nostras firmas esse foreque volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die tertio decimo mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo primo, Pontificatus Nostri tertio decimo.

ANGELUS SODANO, archiep.
Prosecretarius Status

IOANNES LUDOVICUS TAURAN
Pont. Comm. pro Russia Praeses

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXIII (1991), n. 7, pp. 544-545 © Copyright 1990 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana